Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

53. - 44.

LN 931

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

VIR BONVS,

CVM EXPLICATIONE IVCVNDA rerum ac inſtrumentorum, quibus communiter à pictoribus notari ſolet:

AD VIRVM OPTIMVM, Nobilitate generis, honoribus ac vera virtute conſpicuum, D. Iohannem Schougardium, Dominum de Schougard, Regiæ Maieſtati à Secretis:

autore Tilemanno Henningio Alburgo.

HAFNIÆ, Excudebat Laurentius Benedictus.

1 5 70.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°



Inclyta quæ cernis ſolers inſignia lector,
Sunt Schougardiacæ Symbola certa domus.
Virtutes adeò generis ſplendore politas
Hæc eadem clypei myſtica ſigna notant.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

ARma virumq́ cano, nō arma ferocia Martis
Indomiti, nec tela virûm ſæuo acta furore:
Artificum docto ſtudio ſed qualia fingit
Ingenioſa manus: Sapientis quando vel ora,
Vel pulcras animo virtutes, munera mentis
Certaq́, vel varios oculis exponere motus
Intima verſantes intra præcordia, tentat.
Iuſticiæ venerandus amor, clementia, ſumma
Erga Deum pietas, moderatio, pectore forti
Tum præſens animus, comitas, & in agmina multa
Virtutum digeſta cohors: hæc illius arma,
Hæ lances: hæc tela viri præfulgida noſtri.
Quis mihi nunc igitur tam delectabile viſu
Picturæ genus, & diuina Zeuxidis arte
Expreſſum dabit? aut ſummo non diſpar Apelli
Hanc mihi quis ſpeciem docto ſimulabit ab ore:
Quam bonus ac ſapiens veræ virtutis alumnus
Suſtinet, intrepidoq́ refert ſub pectore ſemper?
Sola potes Muſas inter celeberrima, voto
Annue tu noſtro, nec dedignare tenellum,
Aris imbuitur qui nunc ab ouilibus, agnum.
Nam genus è cœlo tecum, ſeu nobile ſtemma,
Vtraq́ diua trahit Pictura & ſancta Poëſis:
Sis ergo facilis, famulo concede roganti,
Euentu vt fiant harum commercia læto.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Supplicibus quoniam cedit ſententia votis,
Sunt rata quæ petimus. Sed nunc ad cœpta feramur.

Cynthius auricomus iam ter ſimulacra ferarum
Signiferi obliqui conuerſo inſpexerat ore:
Poſtquàm primò oculis elegans eſt reddita noſtris
In tabula iuſtè raſa Sapientis imago,
Atq; eadem pulcrè vario diſtincta colore,
Signis, veſte, notis: Aliquem velut ipſe videres
Neſtora grandæuum & ſapientem, cui cana barba
Pallet, & à capitis galea alto vertice fulget,
Crux aurata ſimul medio cui pectore fixa eſt,
Magnanimi annexo prudenter corde leonis:
Organa non temerè, ſed ſignificantia ſummis
Principibus dignas virtutes. flauus amictus
Illius inde humeros texit, totumq; thoracem,
Cingula tum lumbos firmârunt robore caſſos,
Dextræ Libra fuit, fabrilis norma ſiniſtræ,
Hinc pedibus ſaxum quadratum preſſit, ad illud
Se canis inclinans (res nulla fidelior) hæſit.
Hæc ſunt arma viri ſapientis: qualia turba
Inclyta pictorum tabulis dedit, & modò charta
Ipſe typus vulgò qui circumfertur in vna.

GALEA *Sed tegit ærata pictam dum caſſide frontem,*
Vir bonus, ac ſcriptos tam pulcra in imagine vultus,
Quæſo quid obſcurè facies vmbrata notabit?
Scilicet, vt galeæ duro munimine opertum

Sæpe

Sæpe caput ſaluum grandi ſeruatur ab ictu:
Aut medios quando Phaëton accenderit ignes,
Caſſidis eſt patulæ capiti tum gratior vmbra:
Sic etiam tacitus ſapiens quamplurima quiſquam
Mente ſecreta tegit, tacitus quamplurima cauto
Conſilio reprimit, lingua nec prodit inanj.
Si caput illæſum, multos feliciter annos
Cernere ſi cupiat: reſerato pectore ſenſus
Occultos vulgi nunquam diffundet in ora:
Mobilitas etenim plebis nil occulit, auris
Quod capit, hoc latum diſpergit lingua perorbem.
Aſpice quàm feſſis ſtatio ſint grata carinis
Pendentes ſcopuli, quorum ſub vertice latè
Æquora tuta ſilent tranquillaq; ſedibus imis:
Non minus hac tacita ſapiens virtute rebelles
Et mulcere poteſt fluctus, & tollere ventos,
Fluctus nanq; voco permagna pericula, lingua
Quæ parit effrenis, neglectus carcer & oris.

Deinde viri facies iuſto depicta colore, BARBA
Populea quali canentes arbore ramos,
Aut folia alta, vides, multum pallentis Oliuæ:
Non eſt virgineus ſapienti cultus, inanem
Reſpuit is fucum vacuum virtute virili.
Ætas ſed matura dedit per tempora canos
Difficiles, mento quoq; diffluit hiſpida barba.
Pars ea picturæ minus eſt monſtroſa: ſed aptè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Edocet, vt iactis retro puerilibus armis,
Nil faciat ſapiens, dicat cogitétue, quod ipſum
Non regat Androdes, virtus, grauitaſq́; ſenilis.
Imbelles iuuenum mores, ſi aduertis, vbiq́;
Finguntur doctis non abs ratione Pöetis.
Euryalus Niſuſq́;, Dares, præſtanti corpore Turnus,
Icarus & Phaëton, tum quos temerarius auſus,
Aut iuuenilis agens veſano in pectore feruor,
Funere præcipiti tenues demiſit ad vmbras.
Sed ſapiens, cui ætatis cum pondere maior
Eſt morum grauitas, æquo moderamine cuncta
Perficit: hunc ſi non careat virtute, per omnes
Canicies etiam veneranda extollit & ornat.

COR. Quam pulcrè effinxit ſolers induſtria, quamq́;
Inſigni poſitam doctrina noſcere par ſit,
Iam directa meis numeris nota tertia reſtat:
Pectore nanq́; Viri medio cor ſpintre Leonis
Magnanimi fixum eſt: ſub coſtis quale recenter
Eripitur calida fluitans in ſede cruoris.
Huius hic vſus erit: Muliebri vt ſorde remota
Mollicieq́; virum præſtet vir, ſiue tuenda
Fama ſit, aut ſæuo res eripienda latroni.
Nanq́; graui læſus venantum vulnere fortis
Tum demum mouet arma leo, gaudetq́; comantes
Excutiens ceruice toros, fixumq́; ſagitta
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Sic

Sic pius Æneas, Hector, ſic fortis Achilles,
Semidei cuncti, ſanctum genus ac Heroum,
Hoſtiles duro fregerunt robore vires.

Corde ſub affixo tum crux aurata coruſcat: CRVX.
Quam neq; docta manus pingendo adiungere fruſtrà
Suſtinuit, puro potius ſed dogmate plenam.
Nanq; bono cuiuis nota nulla eſt aptior, hîc ſunt
Symbola certa pij, ac Emblemata commoda, ſæpe
Nec fallax index virtutis: vt aurea ſi quem
Crux decorat, ſemper ligno factæ crucis ille
Sit memor, extremè ſpretus qua Chriſtus Ieſus
Naturæ Dominus fixus, vitamq; parenti
Tradidit, & deſertus in Heli Heli ora reſoluit.
Ornamenta ſuo ſed iam vaniſsima luxu
Gens hominum ſectatur iners, Chriſtiq; peroſa
Et gemmis auriq; grauem ſe pondere reddit.
Quid bonus ac ſapiens hîc? relligionis amator
Non fictæ proprijs ex rebus templa ſcholaſq;
Erigit, erectas magna & pietate tuetur.
Sacras expilare bonis hic neſcius ædes,
Quæ vel ſæpe ſuos temerè conuertit in vſus
Impius, vt Chriſtum ſpoliet ſic dilanietq;.
Quid Monachi, Sancta qui de cruce nomen inane
Iactant? hos omnes excludo Catharmata, ventres,
Laruas, & Sathanæ ſimulacra nocentia fœdi:
Quos etſi tegerent à ſummo vertice ad imum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Mille cruces, tamen eſt tantum pietatis in ipſis,
Purpureus quantum inſectis ſanguis abundat.

VESTIS. Indumenta viri ſi quæras, atq; colorem,
Herois tanti, ac ſapientis corpore digna:
Depictos humeros circumuelabat amictus
Flauus. Qualis enim tenui permiſta rubore
Corporibus ſanis candens albedo redundat,
(Sumſit idem vulgo color & de corpore nomen)
Talem chlæna viri reddebat tincta colorem.
Quid color is? linguæ eſt facundia ſalſa, ſerenus
Vultus, & ex hilari deſtillans gratia fronte.
Haud etenim ſapiens, truncus, vel plumbea maſſa,
Aut aſinus panda ſemper ceruice procedens,
Triſte ſupercilium demittet tetricus, atq;
Auſterus, quæuis vel ad integra facta moroſus.
Nam morum grauitas blanda comitate ſoluta
Agreſtem ſuperat virtutem ſcilicet iſtam,
Temperie quæ non mediocri diluta ſordet.
Sed tu dic, color ille viuentis corpore toto
Diffuſus, pullos præſtetne cadaueris artus?
Diſtat ab auſtero tantum comis atq; benignus.
Ipſe foro degens venerando digna ſenatu
Eloquitur, dicto permiſcens vtile dulcj.
Mellis in ore ſapor, nec amara nec aſpera verba
Ingeminat, labijs ſedet eius πότνια πειθώ.
Ergo alios muta nihil eſt virtute præire,

Si

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Si iucunda foras non manet gratia vocis:
Vt flos in viridi qui ſurgit diſcolor horto,
Quem nox rore rigat, Sol confouet igne diurno,
Non ſpecie tantum, ſed ſuaui plenus odore,
Eſt gratus pueris, habituſq; in honore puellis.

Zona virum medio depictum diuidit, arte CINGVLVM.
Facta velut præſens tela ſubtilis Arachne,
Stamine vel tenui texîſſet Cæſia Pallas.
Ille etenim viridi perſiſtit Sindone cinctus
Acer, & erecto ſuſtentat corpore molem.
Ergò qui Sapiens bonus aut vir geſtis haberj,
Prouidus eſto: bonis nec crede quibuſlibet, horum
Sunt etenim quædam non ficta, ſed optima, ſuntq;
Externos vana ſpecie fallentia ſenſus.
Reſpice nunc igitur blanda ſub origine finem
Venturum, incertum, dubium, quoq; pernicioſum.
Triſte malum poteris hoc pacto tollere, dulce
Auribus offertur carmen, datur eſcaq; linguæ:
Vt crudelis aues miſeras ſic enecet auceps.
Gaudia prætriſtem retulerunt ſæpe dolorem.
Dulce mel effectus aliquando reddit amaros.
Sed nihil hîc Sapiens, Bonus aut vir læditur: ipſum
Circumdant quoties permagnis cingula bullis,
Cuncta videt, magno curarum fluctuat æſtu,
Atq; animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In parteſq; rapit varias, perq; omnia verſat:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Pluribus vt rebus ventura pericula vitet.
Ergo ſacra iubet mortales littera cunctos
De medijs lumbis præcinctos eſſe, nefandum
Aduerſus crimen: Iubet hinc nos littera & angues
Prudenti morum ratione excellere vafros.

LIBRA. Lance pari dextra Sapientis libra notatur,
Iuſticiam cunctis venerandam ſignificatum.
Illa quidem Virgo eſt ipſo Ioue nata parente,
Mortales inter multùm venerabilis omnes,
Prudens, caſta, ſuo cultori maxima ſeruans
Præmia. quam temerè ſi quiſquam læſerit amens,
Hunc diuina virum malè conteret vltio ſtultum.
Nam contemta ſemel ſcelerato crimine, velox
Læſa petit ſummos Iouis omnipotentis honores,
Perfidiam accuſans, hominumq; negotia vana.
Vrbibus hîc atram peſtem, Pater igue triſulco
Armatus, famem, tum bella nocentia, morbos,
Erogat, infligens iuſtas pro crimine pænas.
Nulli igitur ſcelus inuiſum Dijs Iuſticiaq;
Poſthabita coluiſſe decet, ratione ferente:
Ne facias alij, tibi quod vel ſpreueris ipſe
Abs alio factum. Naturæ ea regula certa eſt.

NORMA. Lœua deinde Viri rectangula norma tenetur
Iuſticiæ partem monſtrans, qua ſingula rectè
Officijs cunctis, iuſto ac examine fiunt:
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis

Par.

Partibus vt coëat, nil vt deliret amuſsis.
Sit ſolidum quodcunq; ſubeſt: nec inania ſubtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Artifices oculos huc vertant lucra ſequentes
Sordida ſeu quæſtus, Pietati funere facto.

Quadrato inſiſtens lapidi depingitur inde LAPIS.
Vir Bonus, Et veluti multum defeſsus aratro,
Tum membris, tum mole valens Bos pondere grandi
Permagnum pedibus ſaxum premit, haud facile inde
Euertendus acri pulſantum robore: Talis
Vir Sapiens ſemper permultis viribus hæret
Vera loquens animo firmatus: Vera tuendo,
Fortiter ac conſtans hic non aliquando mouetur
Mille Sophiſtarum technis: Sed iacula in ipſos
Autores ſtultos docto conamine torquet.
Ac veluti annoſam valido cum robore quercum
Stridentes Boreæ nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & altè
Conſternunt terram concuſso ſtipite frondes:
Ipſa hæret ſcopulis, & quantùm vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in Tartara tendit.
Haud ſecus aſsiduis hinc atq; hinc vocibus ille
Tunditur, hoſtiles quamuis ſimul excipit ictus:
Mens immota tamen manet, & ſententia vera.

At iam picturæ ſequitur pars vltima noſtræ. CANIS.
Quadrupedes inter cunctos canis vſq; fidelis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Ad ſaxum, Domini cuſtos, decumbit: & ingens
Exemplum virtutis habet, qua iure ſupremos
Indefeſſa colit ſtudij vigilantia noſtri,
Atq́ fides, cuius merito bonus eſſe quis aptè
Dicitur, hæc extincta nihil reliquum facit vltrà
Virtutum. Canis at Sapiens nunc inſpice mores,
Ingenium ſtudium ſeu, naturamq́ fidelem:
Hic proprium Dominum cœtu cognoſcit in omnj,
Et ſolum geſtu veneratur, & ore tuetur.
Quem ſi quid iubeas, facit. At ſi fuſte moleſtes,
Non acuit dentes, nec inani perſtrepit ira,
Ingemit atq́ dolet pulſatus, moxq́ reuertens
Blanditias cauda ſolitas tibi mille rependet.
Deſeret haud quaquam Dominum te, ſi mare tranſis
Veliuolum, infeſtos vel ſi tranſcurris ad hoſtes.
Hæc natura canis ſeruis imitanda, fideles
Quos magis ignauum quam brutum conuenit eſſe.

Sed nunc prætenues non dedignare Camœnas
Inclyte Schougardj, proprias in imagine parua
Aſpice virtutes, ſtudij quoq́ germina noſtrj
Prima cole: vt tandem cythiſos humileſq́ myricas
Hæc ſuperent, noſtraq́ tuum florebit auena
Nomen honorificum, decus ingens, inclyta fama.

SY=

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Die Bildnuß zeiget die Tugent an/
So haben ſoll ein Biderman.

Das Helmelein bedeutet/ Das
Ein Weyſer Man on vnterlaß
Verſchwiegen ſey/ heymlich vnd ſtill
Damit verdeckt er vnraths vil.

Der Bart bedeut die Erbarkeyt
Das ſich ein weyß man allezeyt
Halt tugentlich in all ſeim handel
Mit einem erbarlichem wandel.

Das Löwen Hertz bedeut groß muth
Zu beſchůtzen ſein Leyb/ Ehr vnd Gut
Wo es die not erfodert frey
Kůn/ dapffer/ ernſtlich ſey darbey.

Das Gůlden Creutz an ſeiner Bruſt
Bedeut/ das er ſoll haben luſt
Zu dem Glauben vnd Gottes Wort
Dadurch er endlich werd ſelig dort.

Der Fleiſchfarb Rock bedeut darbey
Das er freundtlich/ Leutſelig ſey
Mit Wort vnd wercken kün gelimpff
Frölich zu ſeiner zeyt mit ſchimpff.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Die Seyden Guͤrt bedeut darbey
Das er weiß vnd Furſichtig ſey
All ding vernuͤnfftigklich anwend
Betracht anfang/ mittel vnd end.

Die Wag bedeut Gerechtigkeit
Die ziert ein Man zu aller zeit
So er thut jedem als er wolt
Im ſelb von jm geſchehen ſolt.

Das Winckelmaß bedeut Meſſigkeit
Das er meyd vberfluß aller zeyt
In ſpeiß vnd Tranck vnd in hochmut:
Maß iſt zu allen dingen gut.

So bedeut der viereckigt Stein
Das ein Man Soll ſtandhafft ſein
Auffrichtig/ redlich vnd warhafft
In allem was er redt vnd ſchafft.

Der Hund bedeut das er on ſchew
Gutwillig ſey von Hertzen trew/
Dienſthafft vnd mild/ wer diß als thut
Der hat eins redlichen Mannes mut.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°

Eget BB 1990

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 931 4°